



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt XI. De Pontificis Maximi in approba[n]dis Academijs auctoritate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

quis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur. Quocirca præclarè comparatum erat more institutoque maiorum, ne cuiquam dynastiæ fas esset Academiam condere, nisi non modò Imperator, verùm etiam Pont. Max. auctor fieret. Existimabant enim nihil esse præsentius ad sedandas opinionum discordias, & dissidia doctrinarum, quàm ut honores, qui viris doctis tribuuntur, non modò ab eius qui toti Imperio, sed etiam qui totius orbis Ecclesijs præest, auctoritate pendeant: ut quoniam, ut est in solenni formula, hic, & ubiq; locorum, eos valere cupiunt, dent quoque operam, ne eorum doctrina cum totius orbis sensu, iudicioque vlla in re discrepet.

CAPVT XI.

De Pontificis Maximi in approbandis Academijs auctoritate.

[In cõfil.
Theolog.
2 part pa.
165]

NON placet hoc Philippo. Quid ita? Nolunt, inquit, Pontifex, & Imperator propagari veram, & puram Euangelij doctrinam, qualem constat esse harum Ecclesiarum. Ideò his Principibus, & Scholis sunt inimici. E contra tamen hi Principes verè inuocantes DEVM, debent facere officium suum, & constituere honesta collegia docentium, & discentiũ litteras. Id præcipit DEVS. At quis non videt ea non posse honesta esse docentium collegia, quæ ideò absque summorum Principum auctoritate constituuntur, quòd doctrina in ijs tradatur ab illorum

illorum sententia, & quod consequens est, à consensione orbis terrarum abhorrens? Sed premit nos Philippus veteris Ecclesiæ consuetudine. Non est dubium, inquit, [Ibid. Ecclesiam Dei habentem scholas, & auditores, seu collegia docentium, & discipulorum posse, & debere dare testimonia auditoribus, sicut testantur litteræ, quæ vocantur formatæ. Vult inde cõfici quemuis suorum cõtum, honores Academicos, sine Pontificis, vel Cæsaris auctoritate mandare posse. quia gradus nihil aliud sunt, nisi hæc testimonia. Non disputo, quàm imperitè gradus Academici formati veterum litteris comparentur, cum hæ fuerint fidei, & communionis Catholicæ, illi egregiæ cuiusdam sint, & præstantis eruditionis testimonia. Sed faciamus inter hæc nullum esse discrimen. Nego valuisse formatas litteras à quocumque cõtu datas: contendo earum vim non solum scribentis iudicio, sed etiam recipientis approbatione niti oportuisse. Itaque S. Augustinus, cum Fortunius Donatistarum Episcopus, Ecclesiam suam Catholicam esse contenderet: Quærebam, inquit, vtrum epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, posset quò vellem dare? atque addit. Parabam autem, vt si consentiret, ad illas Ecclesias à nobis tales littere mitterentur, quas in Apostolicis auctoritatibus pariter legeremus illo iam tempore fuisse fundatas. Falsum igitur est quemuis cõtum, qui sibi Ecclesiæ DEI nomen arrogaret, formatas litteras, id est, vt Philippus interpretatur, doctrine testimonia, suis auditoribus dare potuisse, quæ apud rectè sentientes pondus haberent, nisi essent Aposto-

[Epist.
163.]

licæ Ecclesiæ sententia comprobata. Quæro igitur ex Philippo, num Ecclesia Romana, in qua, vt loquitur idem S. Augustinus, **semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus**, testimonia, quæ ab eorum cœtibus doctrinæ auditorum tribuuntur, admittat, & probet? Negabit, sat scio. Quid ergò formatas nobis obijcit, cum eæ solæ veterum testimonio formatae Catholicam, veram, puramque doctrinam ostenderent, quæ non essent à societate Romani Pontificis alienæ? Ita enim Optatus Mileuitanus, Augustino vetustior, vt ostenderet suam Ecclesiam esse Catholicam, non Donatistarum; recensitis ordine inde à S. Petro omnibus Romanis Pontificibus, vsque ad eum, qui sua viuebat ætate, cum quo, inquit, nobis **totus orbis, commercio formarum, in vna cõmunionis societate concordat**. Errat verò Philippus, cum sperni, & repudiari Pontificis auctoritatem posse credit, eò quod Christiani, Iuliani temporibus proprias scholas, & proprios cœtus discentium instituerint, tametsi ille edicto prohiberet admitti Christianorum liberos in scholis publicis. Christianorum enim Scholæ, Iuliani imperio, ciuilibus duntaxat immunitatibus, & commodis carebant, quæ sola ab Imperatoribus proficisci possunt: laudem verò certæ, & constantis de religione sententiæ earum nulla amiserat, quæ quidem Romani Pontificis auctoritatem sequeretur. Neque enim minus Iuliani, ac postea Valentiniani, & Valentis principatu, Catholici, vt probarent, sibi pro veritate, Donatistis pro mendacio dimicationem esse susceptam, illa Optati oratione vtebantur. Quæ, inquit, apud vos veritas inueniri potest, cui Catholica videtur obsistere? aut quod apud nos esse menda-

[Ep. 162.]

[Lib. 2. ad
Parmen.]

[Ibid.]

[Lib. 7.]

menda-

mendacium poteris approbare, in vna commu-
 nione esse cum toto orbe terrarum? Nunquid
 poteris approbare mendacium, symbolum ve-
 rum, & vnicum retinere, & defendere? Nunquid
 poteris approbare mendacium Cathedram Petri,
 & clauis regni cœlorum à Christo concessas, vbi
 est nostra societas? Fateatur ergo Philippus, aut in
 veterum Formatis litteris nihil ad tuendas Academias po-
 situm esse præsidij, quæ sine Pontificis auctoritate, nutu-
 que fundantur, aut certè, si, vt par est, nefas esse putat à
 sententia eius atatis discedere, qua integram, puramque
 Ecclesiam fuisse confitetur, Burenianam certè orationem,
 quam sua præfatione sibi laudandam putauit, & totum
 eius consilium damnet necesse est. Quid enim stolidius,
 quàm eam Academiam in cœlos ferri, cui Pontificis au-
 ctoritas ludibrio sit, atque despectui, cum grauissimi &
 vetustissimi Patres, totius orbis consensu, testentur, abs-
 que ea veritatem retineri nullo modo posse? Num verò
 magis Academia sine veritate, quàm mundus sine sole
 constare potest? Meritò igitur te, Princeps Illustrissime,
 pòsteri omnes amabunt, atque in oculis ferent, qui cum,
 hac Academia fundanda, viam aperire, & munire velles ad
 veritatem, eam vnã tibi sequendam putasti, qua tot in-
 nocentissimos, sapientissimosque homines ad illam per-
 uenisse, nemo, qui se modò sapere profitea-
 tur, ausit diffiteri.

§(**)§
 §*§

CAPVT